

contractum post baptismum, sed solum quod inveniatur quis post baptismum implicitus secundis nuptiis, quod est verum, etiam si contractus isti ante baptismum facti sint. Solum posset videri non comprehendi, qui duas uxores habuit ante baptismum, et postea neutrae conjugio est implicitus, sed viduus. Respondebimus tamen illud esse accidentarium, et impedimentum semel contractum semper remanere.

16. *Per professionem religionis non tollitur ipso facto irregularitas hæc. — Nec Prælati religionum in ea dispensare possunt.* — Secundo posita est conclusio ad excludendam professionem religionis, quia per illam non tollitur ipso facto hæc irregularitas secundum jus commune. Ita supponunt auctores supra citati, qui ad summum aiunt, Episcopum posse dispensare cum bigamo, si religionem ingrediatur, et in aliquibus casibus hoc etiam dicunt jura; ergo supponunt, hanc irregularitatem non tolli per ingressum religionis. Imo hinc ulterius infertur Prælatos religionum jure communi non posse dispensare cum his religiosis in impedimento bigamiae. Quod docuit Turrecrem., in cap. Lector, dist. 34, art. 2, concl. 6; nullibi enim legitur in jure facta concessio Prælati religionum ad talem dispensationem faciendam. Addo etiam nec ordinaria privilegia religiosorum, etiam mendicantium, concedere hanc potestatem Prælati religionum; an vero aliqua religio habeat circa hoc speciale privilegium, quæstio est de facto, quam unusquisque Prælati in sua religione scire debet.

17. *Quorundam sententia improbat. — Vide Henric., lib. 12 de Matrimon., cap. 6, in fine. — Roderic., tom. 1 quæst. reg., quæst. 24, art. 2.* — Addunt vero aliqui, posse Prælatos religionum dispensare cum suis religiosis bigamis, saltem quoad Ordines minores, quia Episcopi hoc possunt circa suos subditos; Prælati autem religionum exercent circa suos jurisdictionem Episcopali similem seu æqualem. Sed ego hoc nec consulerem, nec admitterem sine speciali privilegio, quia id, quod supponitur, in rigore juris non est verum; unde, cum per aliam illationem extenditur talis potestas ad Prælatos religiosorum, fit minus probabilis. Nam cum dicuntur Prælati religiosorum participare jurisdictionem Episcopalem, intelligendum est quoad ea, quæ communi et ordinario

jure Episcopis conveniunt. Minus vero probabile est, quod quidam aiunt, Prælatos religionum posse dispensare cum subditis in bigamia, etiam quoad Ordines sacros, si secundum jus commune intelligatur; si autem de privilegio sit sermo, ostendendum est.

18. *Quid possint Prælati religionum in bigamia similitudinaria.* — Hæc autem intelligenda sunt de bigamia vera vel interpretativa; nam in illam, quæ tantum similitudinaria est, facilius cadit dispensatio. Unde, cum certum sit, jure communi concessam esse potestatem Episcopis dispensandi in irregularitate proveniente ex bigamia similitudinaria, merito affirmare possumus, Prælatos religionum, qui quasi Episcopalem jurisdictionem exercent, ut Generales, Provinciales aut Abbates (juxta uniuscujusque institutum), posse in eodem impedimento cum suis subditis dispensare, sive ante professionem, sive post, illud contraxerit. Potuit enim esse prius clericus in sacris et matrimonium contraxisse, vel etiam post professionem in eadem, vel in alia religione, quæ diversitas non refert ad hanc dispensationem respectu Episcoporum, ut supra dictum est. Oportet autem, ut hoc impedimentum cum aliis non misceatur, nam, si religiosus duxit viduam, non poterit cum eo dispensare Prælati, cum nec Episcopus possit dispensare, quia jam illa non est tantum similitudinaria, sed etiam interpretativa; et idem erit, si religiosus post professionem duo matrimonia contrahat, quia etiam illa est bigamia interpretativa, juxta superius dicta.

DISPUTATIO L.

DE IRREGULARITATE, QUÆ NASCITUR EX DEFECTU NATALIUM.

Post defectum sacramenti considerandum sequitur de defectibus personæ, qui licet culpam ejus non includant, sufficiunt tamen irregularitatem fundare. Sumimus autem initium ab illo, qui ex ipsa generatione contrahi solet, quia primus est omnium. Est autem hic defectus solum, quando aliquis natus non est ex legitimo matrimonio, et hic vocatur defectus natalium, qui dici potest illegitimitas. De qua dicendum est, an irregularitatem inducat, et qualem, quove jure, et quomodo auferri possit.

SECTIO I.

Quot modis filii nascantur vel fiant legitimi.

1. *Prima conclusio.* — Quia privatio per habitum cognoscitur, ideo de legitimis filiis pauca præmittenda sunt. Dico ergo primo: legitimi filii illi propriissime sunt, qui ex parentibus vero matrimonio conjunctis oriuntur, sive tale matrimonium fuerit sacramentum, sive non, id est, sive sint nati ex parentibus baptizatis, sive ante eorum baptismum, dummodo fuerint matrimonio copulati, ut docet Paul., prioris ad Corinth. 7, et late Innocent. I, epist. 2, 22 et 24.

2. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: inter legitimos numerantur, qui, licet fuerint ex illicito concubitu nati, per subsequens matrimonium legitimi facti sunt, quod contingit quoties parentes tempore generationis soluti erant, et habiles ad matrimonium inter se contrahendum, quia tunc subsequens matrimonium quasi retrahitur usque ad tempus conceptionis talium filiorum, ex quadam benignitate juris canonici in cap. Tanta, Qui filii sint legitimi. Ubi Glossa advertit, tales filios esse legitimos etiam quoad Ordines, quia matrimonium subsequens omnino purgat præcedentem turpitudinem. Circa quod occurrebat difficultas, ex cap. Innotuit, de Elect., quam infra sect. 5 tractabo. Dixi autem necessarium esse, ut tempore generationis parentes sint habiles ad contrahendum inter se; nam si aliquis eorum fuerit matrimonio copulatus, vel aliud simile impedimentum intercesserit, etiamsi postea ablato impedimento matrimonium contrahant, non comprehenduntur in dict. cap. Tanta. Intelligitur de impedimento sufficiente ad irritandum matrimonium, nam si sit solum impediens, nihil obstat, cum valori matrimonii non repugnet, ut latius intelligi potest ex Covarruv., 2, part. 4, c. 8, § 2.

3. *Quid si impedimentum ad contrahendum, quod tempore conceptionis fuit, tempore natiuitatis fuerit ablatum.* — *Decisio.* — Hic verum occurrit quæstio, si contingat tale impedimentum existere tempore copulæ seu conceptionis, tempore autem natiuitatis filii jam esse ablatum per dispensationem, an talis filius per subsequens matrimonium legitimus fiat. De quo sunt contrariæ opiniones, quas ibi Covarruv. late refert; ipse tamen prius resolvit in partem favorabiliorem, nimirum, illum filium fieri legitimum per sub-

sequens matrimonium. Refert vero deinde Sarmientum, lib. 1 Selectarum interpret., c. 5, num. 40, qui post ipsum Covarruviam contrariam sententiam tenuit, cujus rationibus permotus tandem idem Covarruv. rem dubiam et indecisam relinquit. Unde in ordine ad irregularitatem est sine dubio securior sententia, quæ requirit parentes habiles ad contrahendum tempore conceptionis. Et habet magnum fundamentum in dict. cap. Tanta, quod sic habet: *Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* In quibus verbis solum postulatur, ut copula interveniat existente impedimento. Ponamus enim ante natiuitatem talis filii mortuam esse uxorem talis viri, et postea duxisse aliam, quam durante priori matrimonio cognoverat, sequitur, in eo casu filium fieri legitimum per tale matrimonium: hoc autem videtur repugnare prædicto textui; nam in illo filio concurrunt omnia, quæ ibi postulantur, ut talis proles semper sit spuria. Ratio etiam hoc suadet, quia lex, quæ illam limitationem posuit, non respexit ad natiuitatem filii, in qua non intervenit culpa, sed ad copulam ita turpem et damnabilem, ut voluerit non purgari etiam per subsequens matrimonium; ad hoc autem parum profecto refert, quod impedimentum sublatum sit tempore natiuitatis. Hæc ergo pars mihi valde verisimilis videtur, et maxime quando impedimentum tale fuit, ut pro eo tempore non esset dispensabile, quale est illud de priori matrimonio, idemque censeo de voto solemnium, etiamsi demum esse dispensabile, vel de facto dispensari ante natam prolem; in aliis vero impedimentis, quæ facilius tolluntur per ordinariam dispensationem, est fortasse res magis dubia, semper tamen videtur dicta sententia probabilior.

4. *Quid si impedimentum post conceptionem superveniat.* — Secus vero erit, si e contrario contingat, tempore conceptionis non fuisse impedimentum, tempore autem natiuitatis jam inveniri; nam hoc non obstat, quominus si postea, ablato impedimento, matrimonium contrahatur, proles legitima efficiatur. Ut, v. gr., si post copulam inter personas solutas, altera vel utraque earum aliud matrimonium contrahat, deinde vero, ante talis filii natiuitatem eadem personæ viduæ effectæ inter se contrahant, prior proles legitima efficiatur, ut optime docuit Covarruv.,

supra, num. 45. Et colligitur ex dict. cap. Tanta, nam ibi solum excipitur casus, in quo ipsa copula est damnabilis, propter matrimonium, quod de eo tempore existebat; at vero in illo casu copula non fuit damnabilis dicto modo; ergo proles inde orta comprehenditur sub generali regula textus, ut fiat legitima per subsequens matrimonium, sive aliud præcesserit ante vel post natiuitatem, sive non, nam de hoc nihil in textu dicitur, nec nos illud debemus aut possumus limitare; solum ergo requiritur, ut matrimonium postea subsecutum validum sit. Unde si contingeret, aliquam ex illis personis religionem profiteri ante natiuitatem prolis prius conceptæ, postea vero ex dispensatione Pontificis reddi habilem ad matrimonium, per illud fieret filius legitimus, ex eodem principio, quod prior copula fuit tantum simplex, et matrimonium, postea subsecutum, fuit validum.

5. *Corollarium.* — Unde colligimus ulterius, quoties tempore conceptionis impedimentum existit inter parentes, quod matrimonium inter eos irritaret, etiamsi ab altero eorum ignoretur, et in conscientia excusetur ab incestu vel adulterio, v. gr., licet non a fornicatione simplici, nihilominus prolem inde exortam non fieri legitimam propter matrimonium subsequens, ablato impedimento. Quam rem late disputat Covar., sup., num. 46 et 47, refertque contrarias opiniones satis communes, tandemque in hanc sententiam magis ipse inclinat; quæ mihi profecto indubitata videtur ex dict. c. Tanta, ubi generaliter dicitur, si vir vivente uxore aliam cognoverit, filium inde conceptum semper esse spurium, nulla mentione facta, an mulier illa, quam cognovit, sciverit, vel ignoraverit viri statum seu conditionem; ergo non possumus nos illam limitationem addere, cum nullo jure fundata sit, ut magis ex sequenti puncto constabit.

Tertia conclusio.

6. Dico tertio: ut filius sit legitimus canonico jure, satis est, quod matrimonium sit verum, aut bona et probabili fide reputatum, etiamsi contingat ex occulto impedimento nullum esse. Ita declaravit Pontifex, in c. Ex tenore, Qui filii sint legitimi, ubi Abbas et caeteri Doctores, Antonin., 3 p., tit. 29, c. 4; Maiol., lib. 1, c. 5; et Covar., d. 2 p., c. 8, § 1. Constatque ex prædicto textu

hoc non solum procedere, quando hæc bona fides in utroque parente invenitur, sed etiam si in altero tantum existat; nam in casu illius textus mater sola bonam fidem habuisse dicitur; nam pater, qui aliam sibi matrimonio copulaverat, non videtur potuisse bonam fidem habere, quamvis in textu nihil de hoc asseratur. Satis vero est, quod sola bona fides matris, cum publica existimatione legitimi matrimonii, sufficere dicitur, ut jure canonico talis filius legitimus censeatur. Neque est dubium, quin etiam ad effectum suscipiendi Ordines hoc intelligendum sit, quia jus absolute, et sine limitatione reputat illum legitimum; ergo quoad omnes effectus. Atque hæc est communis interpretatio, cujus ratio solum est, quia jus ita disposuit in favorem prolis legitime conceptæ sub titulo matrimonii validi, juxta conscientiam saltem alterius conjugis et publicam opinionem.

7. *Objectio contra corollarium secundæ conclusionis.* — *Solutio.* — Hinc vero solet argumentum sumi contra id, quod dictum est superiori puncto; sequitur enim, quando ante matrimonium præcessit conceptio cum impedimento ignorato, non obstare, quominus per subsequens matrimonium talis partus legitimus fiat. Negatur autem consequentia, et similitudo rationis, quia in priori casu habemus expressam juris declarationem, non vero in altero. Nec subest eadem causa, ut extendamus illam dispositionem tanquam favorabilem, quia in priori casu bona fides parentis est circa matrimonium ipsum, et actum ejus tanquam absolute legitimus; in altero vero casu bona fides et non est circa consummationem matrimonii, et solum est quoad diminutionem culpæ, ut sic dicam, absolute vero conceptio est turpis, et proles ex vi illius illegitima; et ideo, si in re ipsa interveniat impedimentum, ignorantia ejus licet, excuset talem speciem culpæ, non tamen confert ad legitimationem prolis per subsequens matrimonium.

8. *Dubium.* — *Resolvitur ex generali regula.* — Sed quid si matrimonium fiat illicite propter impedimentum non dirimens cognitum, et cum impedimento irritante ignorato, ac proinde ex hac parte bona fide reputetur validum? numquid proles inde genita erit legitima? Ut si quis habens votum simplex castitatis ducat foeminam, quam omnino ignorat esse affinem in secundo gradu, in re tamen habet hoc impedimentum. Respondeo generalem regulam esse, hujusmodi prolem

esse legitimam, quia de valore matrimonii ignorantia est invincibilis, et consequenter copula, quæ subsequitur, matrimonialis et legitima est in existimatione inculpabili, et ita comprehenditur in dicta dispositione juris, et alia malitia, quæ miscetur in contractu matrimonii, accidentaria est ad hunc effectum.

9. *Exceptio a regula secundum jus antiquum.* — *Cap. Quod nobis, Qui filii sint legitimi, objicitur.* — *Exponitur.* — Potest autem excipi juxta antiquum jus casus matrimonii clandestini; nam licet in re esset validum, ab Ecclesia non admittebatur, donec esset coram illa probatum seu confirmatum, et ideo si casu intercedebat impedimentum irritans ignoratum, proles inde concepta non erat legitima juxta, c. Cum inhibito, § 1, de Clandest. despons. Objici vero potest cap. Quod nobis, Qui filii sint legitimi, ubi, qui de clandestino matrimonio postmodum ab Ecclesia probato generatus est, legitimus judicatur, quod plerique intelligunt de matrimonio clandestino a principio nullo, quamvis bona fide facto. Respondetur tamen primo, admissa hac expositione, ibi non dici, filios natos ex tali matrimonio, durante ejus invaliditate, judicari legitimos, sed tantum, postquam est ab Ecclesia probatum, id est, validum effectum per approbationem Ecclesiæ. Quam expositionem indicat Abbas sequens Calderinum, et mihi videtur necessaria, supposita dicta expositione et decisione alterius textus in d. c. Cum inhibito. Deinde dicitur, non oportet textum illum intelligere de matrimonio invalido, sed simpliciter de matrimonio clandestino, quod licet esset validum, tamen cum esset occultum, et non contractum in facie Ecclesiæ, filii ex eo geniti non habebantur legitimi, donec matrimonium esset per Ecclesiam approbatum. Nam juxta c. 2 de Clandest. despons., ante hanc Ecclesiæ probationem, et confessionem ipsorum conjugum, non poterant illi compelli ad perseverandum in tali matrimonio, et consequenter nec proles reputabatur legitima in foro Ecclesiæ; tamen si contrahentes ipsi in facie Ecclesiæ rem totam fatebantur, et ratam habebant, matrimonium ab Ecclesia recipiebatur ut legitimum a principio, et ideo etiam proles a principio genita judicabatur legitima, dummodo aliud impedimentum non obstaret. Hoc vero non videtur habere locum post statutum Concil. Trident., nisi fortasse ubi ipsum non fuerit sufficienter promulgatum, quia jam nunc matrimonium clandestinum invalidum est, et ideo filius ex eo genitus per se est illegitimus, et quoad legitimationem per subsequens matrimonium ita de illo judicandum est, sicut de quocumque genito per fornicationem et concubinatam.

10. *Quid secundum jus novum.* — *Matrimonium autem factum coram paroco, et testibus, juxta Tridentinum, per se validum est, quantum est ex modo contrahendi; et ideo si bona fide ita fiat, sufficit, ut proles inde concepta sit legitima, etiamsi per ignorantiam contingat aliquod subesse impedimentum, quod illud reddat nullum. Quod censeo verum, etiamsi cum aliquo peccato contractum sit, ut, v. gr., prætermisissis publicis denuntiationibus quas Concilium non præmitti præcipit, sine justa causa et licentia, quia hoc non obstante illud matrimonium non clandestine, sed in facie Ecclesiæ contractum est; et ideo non comprehenditur sub decisione textus in dict. c. Cum inhibito, ac proinde manet sub alia generali regula juris, quod proles judicetur legitima, quæ nascitur ex matrimonio legitimo reputato. Dices, in eo casu ignorantiam non reputari invincibilem, quia non est adhibita diligentia ad tollendam illam, quæ ex præcepto Ecclesiæ adhibenda fuisset. Respondeo, hanc causam sufficere, ut in exteriori foro illa ignorantia suspecta habeatur; nihilominus tamen si in conscientia constet ignorantiam fuisse invincibilem, et alio modo factam esse sufficientem diligentiam ad veritatem cognoscendam, in eodem foro proles judicanda est legitima, quia revera nullum impedimentum canonicum illi obstat. Idemque dicendum existimo in foro exteriori, si de bona et probabili fide alia via in eo constiterit sufficienter, quia illud præceptum præmittendi admonitiones valde extrinsecum est, ut propter solam illius transgressionem existimandum sit, prolem mala aut minus probabili fide fuisse conceptam.*

11. *An filius ante matrimonium genitus, per subsequens matrimonium nullum, verum existimatum, legitimetur.* — *Augustinus.* — *Soto.* — Ultimo dubitari potest in hoc puncto, an matrimonium reputatum legitimum bona fide, æqualiter operetur ad filii legitimationem, ac matrimonium verum, ut, v. gr., an matrimonium bona fide contractum inter consanguineos reddat legitimam prolem ante tale matrimonium ab ipsis genitam, cum eadem ignorantia de gradu consanguinitatis. Aliqui enim Doctores affirmant talem prolem fieri legitimam, quia matrimonium reputatum pe-

rinde operatur ac verum. Ita tenet Antonin., *n. c. Tanta*, num. 9, Qui filii sint legitimi. Contrarium vero tenet Socin., *Cons. 31*, et in idem magis videtur inclinare Covar. supra, num. 17, in fine. Et videtur probabilius. Nam primo, si bona fides non sit in utroque parente, sed in altero tantum, juxta dicta consequenter negandum est, prolem illam fieri legitimam per tale matrimonium reputatum, non quia ad hoc minus sit efficax, quam matrimonium verum, sed quia nec per matrimonium verum talis legitimatio fieret, eo quod præcedens conceptio in re fuerit incestuosa, et sola ignorantia unius partis non poterit illam reddere naturalem seu simplicem, ut dictum est. At vero quando tempore copulæ ex utraque parte intervenit bona fides quoad ignorantiam impedimenti, tunc certe dubitari potest, an proles, quæ materialiter genita est ex incestu, habenda sit tanquam naturalis, ut legitimari possit per subsequens matrimonium reputatum; nam tunc filius genitus post tale matrimonium legitimus judicatur; ergo etiam prius genitus cum eadem ignorantia, quia illud matrimonium retrotrahitur, ut supra dictum est. Verumtamen si hæc ratio efficax esset, idem probaret, etiamsi bona fides a principio tantum ex parte alterius parentis intervenisset; ideoque verius censeo etiam in illo casu non legitimari prolem per tale matrimonium. Quod non solum procedit de matrimonio putato, sed etiam de vero, quia semper præcedens copula incestuosa manet, licet ob ignorantiam non imputetur; id vero satis obstat, ut non possit subsequens matrimonium prolem facere legitimam. Atque hæc sufficiunt præsentis instituto, quoad filios legitimos; reliqua in materia de Matrimonio dicentur.

SECTIO II.

Quot sint species filiorum illegitimorum.

1. *Varii gradus filiorum illegitimorum.* — *Naturales.* — Regula generalis est, omnes filios, qui non sunt legitimi aliquo ex prædictis modis, illegitimos quoad præsentem irregularitatis effectum appellari. Sunt autem varii gradus horum illegitimorum. Primo enim distinguuntur in naturales, et spurios; naturales dicuntur, qui orti sunt ex copula illicita eorum, qui inter se matrimonium contrahere poterant. Solent autem hi subdividui in nothos, et simpliciter naturales; priores sunt qui nascuntur ex soluto et soluta domi

non retenta; posteriores vero, qui nascuntur ex concubina domi retenta; et requiri etiam solet, ut illa unica sit, juxta Authenticam Quibus modis naturales efficiantur sui, § Si quis autem defunctus, collat. 7. Quæ divisio ad alios effectus juris civilis potest fortasse conferre, et maxime, ut filius reputetur talis patris; nam quando concubina domi retinetur, filius præsumitur ejus, qui illam apud se retinet, etiamsi ipse non declaret; quod secus est, quando proles extra domum nascitur, nam oportet, ut pater filium recognoscat, vel sufficienter probetur. De qua re videri possunt Abbas, in *c. Per venerabilem*, Qui filii sint legitimi, num. 31, et quæ late scribit Covar., *d. 2, p. 4, cap. 8, § 4*; et Antonius Gomez, in *L. 9 Tauri*, a princip. In præsentis vero hæc distinctio necessaria non est, nam omnes isti sunt jure canonico filii naturales quoad præsentem effectum irregularitatis, imo et quoad omnes alios. Quod etiam jure Regio Hispaniæ receptum esse ostendunt dicti auctores, et alii juris interpretes recentiores, qui etiam aiunt, consuetudine totius orbis ita esse receptum. Atque ita intelligendum est, quod dixit Isidorus, lib. 9, *Originum cap. 5: Naturales filii dicuntur ingenuarum concubinarum filii, quos sola natura genuit, non honestas conjugii*, et habetur 32, quæst. 2, c. ult., ubi ingenuam appellat, non quia necesse sit eam esse nobilem, aut alterius similis conditionis; satis est enim quod sit soluta, et ad matrimonium contrahendum cum tali viro non habens impedimentum; ingenuitas vero matris potius requiritur, ut filius sit liber, et non servus, quam ut sit naturalis, ut sumitur ex eodem, et ex *c. Innotuit*, juncta Gloss., verb. *Ingenua*, de *Elect.*; Turcremata vero, *d. cap. ult.*, significat necessarium esse, ut non sit meretrix; sed neque hoc necessarium est, ut filius sit naturalis, dummodo alia conditio, seu aptitudo ad matrimonium non desit, ut præter dicta optime colligitur ex *cap. Innotuit*, junct. *Glos.*, verb. *Conjugata*, de *Electione*.

2. *Filii spurii.* — *Tres eorum species.* — Secundo, filii spurii universaliter dicuntur omnes alii illegitimi, qui naturales non sunt, dicunturque omnes hi nati ex damnabili coitu; nam simplex fornicatio seu concubinatus licet in foro animæ damnabilis etiam sit, tamen, si non habeat graviorem deformitatem, humano jure permittitur, seu toleratur; quando vero accrescit malitia adulterii, vel alia similis, dicitur damnabilis copula, quia

jura etiam humana illam damnant. In ea vero sunt gradus, nam aliquando licet damnetur talis copula, non tamen specialiter in jure punitur, ut, v. gr., adulterium conjugati cum soluta; aliquando vero etiam punitur, ut e converso adulterium conjugatæ cum quocumque alio. Quæ differentia ad nostram intentionem parum refert, licet interdum possit aliquid conducere ad facilitatem vel difficultatem dispensationis. Et ob eandem causam tres præcipuæ species horum illegitimorum notandæ sunt. Quidam enim sunt filii adulterini, id est, ex adulterio nati, qui possunt esse in triplici differentia, scilicet ex conjugato et soluta; et ex soluto et conjugata; et ex conjugato et conjugata. Alii sunt filii incestuosi, nati ex his, qui habent impedimentum affinitatis vel consanguinitatis sufficiens ad irritandum matrimonium inter ipsos, si tempore, quo inter se convenerunt, fuisset contractum. Unde juxta varietatem hujus impedimenti potest esse similis varietas in his illegitimis, quorum impedimentum eo majus erit, quo major fuerit inter parentes sanguinis propinquitas. Alii denique sunt filii, qui dici possunt sacrilegi, quia ex illis parentibus nati sunt, qui ob impedimentum voti solemnitis castitatis inter se contrahere non poterant, sive illud fuerit in utroque, sive in altero tantum, et sive illud fuerit votum annexum Ordini sacro, sive professioni religionis.

3. Est autem in his votis observandum, convenire primo in hoc, quod si matrimonium post illa sequatur, nullam est, et ideo proles est sacrilega. Secundo in hoc, quod si post natam prolem ex vero matrimonio votum sequatur, quod sit validum, quia vel alter conjugum mortuus est, vel quia ex illius licentia legitima factam est, nullum impedimentum affert legitime proli prius genite, argumento *cap. Ad hæc*, de *Filiis Presbyt.* Differunt tamen, quia si antecedit matrimonium validum sive consummatum, sive ratum tantum, et sequitur susceptio Ordinis sacri, matrimonium non dissolvitur, ut per se notum est, imo neque uxor amittit jus suum, si in talem ordinationem mariti non consensit eo modo, quo exigit in *cap. Conjugatus*, de *Convers. conjug.* Quapropter, si uxor petat jus suum, cogetur maritus, non obstante ordinatione, reddere debitum, quamvis illud petere non possit propter votum castitatis, ut definit Joan. XXII, in *Extr. Antiqua*, de *Voto*, *Glos.*, et *Doctores*, in *c. unic. de Voto*, in 6, et

tractat Covar. diserte in 4, 2 p., c. 7, § 4, n. 9. Atque hinc fit, ut filius natus ex tali matrimonio legitimus sit, non obstante voto et ordinatione patris, quia talis copula non est sacrilega, et votum tunc est quasi suspensum quoad impediendam redditionem debiti, et delictum parentis solum fuit in temeraria susceptione Ordinis, non in filii procreatione. Et hæc est communis sententia, ut patet ex Covar., supra, et Maiol., lib. 4, c. 9, num. 8. In voto autem solemnī religionis non habet locum similis casus; aut enim matrimonium, quod antecessit, ratum fuit, et consummatum, aut ratum tantum; in priori casu professio subsequens nulla fuit, ac proinde filii posteriori generati legitimi sunt; in posteriori autem casu matrimonium dissolvitur per subsequentem professionem, quæ omnino valida fuit, ideoque filii postea geniti ex priori sponsa ita sunt illegitimi, ac si nullum matrimonium antecessisset.

4. *Tertius gradus filiorum illegitimorum.* — *Prima sententia.* — Tertio dicendum est aliquos esse filios canonice illegitimos, qui naturaliter legitime procreati sunt. Suppono interdum vivente utroque conjugate posse utrumque vel alterum eorum solemnē votum continentiae valide emittere, ita ut uterque maneat privatus jure petendi, et sine obligatione reddendi debitum, c. *Si vir*, 37, q. 2, c. 4, et *c. Conjugatus*, de *Convers. conjug.*, de qua re quomodo fieri debeat, et an sit necessaria auctoritas Episcopi ad valorem actus, vel ut ordinate fiat, in opere de *Religione* dicimus. Suppono secundo, in eo casu vinculum matrimonii prius contracti, et consummati, non dissolvi, quia prorsus indissolubile est quoad vinculum, juxta illud: *Quos Deus conjunxit homo non separet*. Tertio suppono, si contingat ex conjugibus in tali sacro jam constitutis filium generari, illum dici posse generaliter legitimum, quia revera natus est ex legitimo matrimonio. Imo addit Abbas statim citandus, etiam esse legitimum civiliter, id est, quoad successionem hæreditatis, quod fortasse est verum, quia non constat per jura civilia excludi. Sed de hoc alibi. His ergo positis, de hoc dicimus, non obstante naturali origine esse canonice illegitimum. Non caret tamen res controversia; nam quod alias copula sit sacrilega ipsis parentibus, non obstat, quando sacrilegium non est contra substantiam vinculi matrimonii, quod patet, tum in eo casu, in quo uterque parens habet simplex votum castitatis; tunc enim sacrilege